

stia, obsequium & multae aliae virtutes Doctore Eccle-  
 siae vero dignae quammaxime elucescunt. Coeterum  
 Jurejurando Doctorali solenni se obstrinxit pro legum  
 Academicarum tenore, in quo promisit, *vanas & pere-*  
*grinas doctrinas ab Ecclesia damnatas & piarum aurium of-*  
*fensivas se neque docere velle, neque permittere, ut docean-*  
*tur, sed denunciaturum se esse intra octendium.* Quo ipso  
 non repugnavit alteri parti jurisjurandi, qua *Romanae*  
*Ecclesiae obedientiam* pollicitus est: Hoc enim nomine  
 non potuit intelligi *Ecclesia erroribus impleta*, sed in quan-  
 tum Romana ex Scriptoribus antiquis est nota, Papales  
 siquidem errores per ipsa reliqua verba detestatus est.  
 Unde Jesuitis perperam accusatur LUTHERVS, quod  
 jusjurandum Doctoris laeserit. Factus enim est DO-  
 CTOR *Scripturae Sacrae*, non dogmatum Romanensi-  
 um, & si vel maxime tale juramentum praestitisset,  
 prout multi forte illo tempore fecerunt, ubi tamen de-  
 inceps veritatem agnovit, illud juramentum in re illicita  
 praestitum expiravit, & officii fuit, coelestem Evan-  
 gelii doctrinam potius propugnare, quam doctrinis fal-  
 sis amplius adhaerere. De quo negotio praeter alios  
 plures, praecipua momenta proposuisse meminimus B.  
 HÜLSEMANNVM in *Breviar. Theol. L. XIX. p. 387.* Dis-  
 pulit etiam ipse LUTHERVS calumnias, quibus impe-  
 titus est praeterea ab hostibus, ac si perjurium commi-  
 serit, quod *alibi, quam in Academia Erfurtenfi, honores*  
*Academicos sumserit*, seque hic innocentissimum esse,  
 multis idoneis argumentis ostendit, in *Epistola V. T. I.*  
 qua tandem, etsi laesus atque offensus ab inimicis, con-  
 donare se velle profitetur. *Sed haec, inquit, omnia fa-*  
*cessant, Ego enim sum optime quietus & pacatus animo er-*  
*ga vos omnes, quamvis fuerim offensus. Deus enim indigno*